

20173.

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
USU AC RATIONE DICTIONIS
ANTHROPOPATHICAE
IN
SCRIPTURA SACRA,
QUAM
EXAMINI ERUDITORUM,
PRAESERTIM
SUMME · REVERENDI THEOLOGORUM
DORPATENSIIUM ORDINIS,


TRADIDIT

AUCTOR,

AUGUSTUS GUILIELMUS TAPPE,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, CONSILIARIUS CAESARI TITULO ORNATUS,
RELIGIONEM ET ETHICEN CHRISTIANAM IN SCHOLA, GERMANICAE
GENTIS JUVENTUTI INSTITUTEAE PETROPOLI PATENTE FLO-
RENTEQUE PRIMARIA, S. PETRI NOMINE CLARA, PUBLICE DOCENS.

DORPATI,
TYPIS M. G. GRENZII, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXV.



Imprimatur,

ea quidem lege, ut, simulac haec dissertatio
typis excusa sit et antequam divulgetur, sep-
tem exemplaria, jussu Superiorum, distribuenda,
administrationi Universitatis, cui censura librorum
commissa est, tradantur.

DR. HERRMANNUS LEOP. BOEHLENDORFF,

Ord. Theol. p. t. Decanus, a Consiliis

Collegiorum etc.

Censor.

Dorpati Livonorum,

d. IV. Jd. Maji,

MDCCCXV.

**VIRO SUMME REVERENDO, CLARISSIMO
AC DOCTISSIMO,**

JOANNI JOACHIMO BELLERMANN,

**THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI,
GYMNASII, QUOD BEROLINI FLORET, DIRECTORI
LONGE MERITISSIMO ETC. ETC.**

DISSERTATIONEM HANC,

OBSERVANTIAE ET NON FUCATI AMORIS INTERPRETEM

D. D. D.

AUCTOR.

D 21604

C. D.

Locutio scriptorum sacrorum tam V. quam N. T. *anthropopathica*, sensu latissimo dicta, in cujus usum creberrime incidit oraculorum sacrorum lector attentus, ea est, qua jam *corporis humani partes ac membra*, (per anthropomorphismum,) jam *animi humani adfectus*, jam *humani sensus*, jam *actiones humanae Deo* tribuuntur. Sunt, quibus videatur indigna et scriptoribus sacris et ipso Deo. „*Neque enim*, ajunt, ipsius *Tertulliani* *) verbis repetitis, (ex Reverendi Patris mente aliorum omnino spectantibus, —) *neque enim sunt Deo aut*

*) De Trinitate, Cap. VI, p. 625. (edit. Pam. ,) — Sitne Tertullianus libri auctor, necne? (sunt enim, qui dubitent,) nec affirmaverim, nec negaverim.

*membra, aut membrorum officia necessaria, ad
cujus solum. etiam tacitum, arbitrium et ser-
viunt et adsunt omnia. Cur enim requirat ocu-
los, qui lux est? aut cur quaerat pedes, qui
ubique est? aut cur ingredi velit, cum non sit,
quo extra se progredi possit? aut cur manus
expetat, cujus ad omnia instituenda artifex est
et silens volumas? Nec auribus eget, qui etiam
tacitas novit voluntatis: aut propter quam cau-
sam linguam quaerat, cui cogitare jussisse
est? — — Recte quidem: sed memores hos
esse oportebat, dictionis metaphoricæ, cujuscun-
que usum, in cujus censum venit ἐνθρονονό-
σια omnis, cum a sermone humano haud sit
alienus, nec dedecuisse scriptores sacros,
humano sermone usos, loquuturos hominibus.*

*Sensibus obnoxius est homo, iisque tanto
magis viget, quanto minus exculti est ingenii.
Hinc spirituales res, in sensus non incurren-
tes, sub rerum naturalium seu corporearum
imagine animo repræsentat.*

Spiritus vero cum sit Deus, sensibus
neutiquam percipiendus, ejusque notio qua-
liscunque in mortalium primis ac palmariis sit
numeranda, enascens adeo in hominibus quan-

tumcunque rudibus (Rom. I, 19. 20.), quam
quaeso illius speciem animo repræsentave-
riut? — — — *Hominis!* equidem crediderim,
rerum creaturarum omnium facile principis,
ratione, praeclaris animi ingeniique dotibus,
sanoque, de eo quod bonum justumque est,
judicio praediti. Fidem quasi atque auctori-
tatem adfert humanae illi imagini, in mente
mortalium maxime cultioris ingenii expertium
repositae, ipsa scriptura sacra, diserte com-
memorans, creatum esse hominem *ad Dei*
imaginem (בְּצַלְם אֱלֹהִים. בְּרֵמִיזָה אֱלֹהִים) Gen. I,
26. 27. C. V, 1.) Eodemque spectant oracula
sacra, probos homines, vitae integros scele-
risque puros adpellantia egregio *filiorum Dei*
nomine (בְּנֵי אֱלֹהִים. υἱὸν τοῦ Θεοῦ). Cum et rei
alius cum alia *similitudinem* innuant *notione*
fili (בֶּן. υἱός) Hebraei veteres, *Dei filio-
rum nomine significantur homines Dei simi-
les*, ut cujus sint vera *imago*. (רֵמֶזָה. צֶלֶם.)

Ast non Hebraei solum, quibus *primis*
loquuti sunt scriptores sacri, sed aliae etiam
gentes Deum Deosve, sub *hominis specie* re-
presentare solebant animis, nisi quod corpo-
ris molem atque amplitudinem in sua mente

suoque ingenio mirum in modum auferent Deum, tanquam mortalibus quibuscunque omnino superiorem, nec solita, nec quidem eximia hominis specie ac veluti statura exprimi et cogitari posse, persuasi. Hinc vastae ac monstrosae Deorum *imagines* apud *Hommerum!* a) Martis vulnerati — clamorenormis, aequans decies mille militum vocem b); gressus ejus miri, ut qui non nisi quatuor passibus pertigerit inde a Troja, usque ad Aegaeus c); pondus corporis ejus tantum, ut sub onere ingemuerit currus, quo veheretur d)! Hinc tantae molis atque amplitudinis *imagines* Deorum apud gentiles! ut aurea illa, quam LX cubitorum altitudine, VI latitudine erigendam curavit Nebucadnezar e).

Nec desunt exempla mirae Dei magnitudinis *extensivae*, a scriptoribus sacris, intensivam numinis magnitudinem ac majestatem innuturis, significatae, ut: Jes. LXVI, 1. *הַשָּׁמַיִם כִּסְאִי וְהָאָרֶץ הַדָּם רַגְלִי* i. e. „*Coelum* thronus meus est, *terra* scabellum pedum meo-

a) Vid. v. g. Iliad. XXI. 407. — b) Il. V. 860. — c) Il. V. 772. — d) Il. V. 839. — e) Dan. III, 1.

rum.“ Mox addit: *אֵי-זֶה פֶּתַח אֵשֶׁר חִבְּנוּ לִי* i. e. „*ubi igitur aedes exstiterint* (tanta magnitudine dignae, meique capaces), *a vobis mihi exstruendae??*“ —

Vix quidem est, quod moneam, *metaphorice* id esse dictum eo, quod impleat omnia Deus et praesto sit ubique locorum, operans, providens omnibus, conservans et gubernans creata. Sed haud minus in aprico est, *verba ipsa* aliquo modo *incta* esse notione ista omnino humana et quasi puerili de *extensiva* amplitudine Dei, Prophetae aetate adhuc superstitie, nisi in ipso ejus animo, certe tamen in suae aetatis *dicendi usu*.

Eodem referenda videntur quae leguntur Psalm: XXIV, 7. — Arca foederis (*אֲרוֹן הַבְּרִית*), veluti thronus Dei terrenus, ut cui quasi insideat coelorum terrarumque rex supremus, cum in montem Zion, ad sacra publica ibi instituenda, solempni pompa transferretur, exclamat divinus vates:

שֹׂאוּ שַׁעֲרֵימָה רִאשֵׁיכֶם וְהַנְּשֹׂאוּ פֶתַח עוֹלָם וְנִבְרָא מִלֶּךְ הַכְּבוֹד:

i. e. *Elevate, Zionis portae, capita* (i. e. *superliminaria vestra! Elevamini, portae aeternae!*

(i. e. longe vetustissimae) *ut introire possit Rex majestatis* (i. e. Deus summus.)

Sed haec sufficiant. Quum oracula sacra mortalium sensibus humanis obnoxiorum usibus destinata essent, publicata atque in lucem edita ea aetate (*puerilem* haud inepte dixeris!) qua gens, cui proxime tradita erant, adhuc satis rudis necdum exculti erat ingenii, mirum non est, sacros scriptores, indulturos mentis ingenique imbecillitati, dictionibus usos esse lectorum captui prudenter adcommodatis.

Ecquis igitur offendatur dictione illorum *anthropopatica*, summo Numini tribuentium *tam partes et membra mortalis hominis* (ut: faciem, oculos, palpebras (Psalm XI, 4.) aures, nasum, os, labia, cervicem (Jes. XVIII, 17.), brachia, manus, digitos, pedes, sinum, cor, viscera), *quam animi humani adfectus* (ut: tristitiam, iram, ultionem, odium, zelum, poenitentiam), *actiones humanas* (ut: locutionem ac sermonem, clamorem (Jes. XLII, 13. 14.), sibilationem (Jes. V, 26.) adflationem seu spirationem (Gen. II, 7.) visum (Psalm II, 4. XXXVII, 13.) *et sensus*

(ut: gustum (Hos. IX, 4. Mal. III, 4.) olfactum (Gen. VIII, 21. Exod. XXIX, 18. 25. 41. Lev. I, 9. C. II, 12. C. III, 16. C. VIII, 21. Num. XXVIII, 2. Ezech. XX, 28. 41.) auditum, visionem, et ipsum tactum (Psalm CIV, 32. CXLIV, 5.) — Quae ἀνθρωποπαθῶς, Deo tributa Θεοπροπῶς, ergo sensu omnino metaphorico, esse accipienda, recte monent Theologi.

Omnium dictionum anthropopathicarum in scriptura sacra obviarum sensum metaphoricum enucleare, et longum foret, et disertatiunculae hujus spatio finibusque parum consentaneum, adeoque a scopo nostro alienum. Sed liceat in medium proferre interpretationis ejusmodi locutionum anthropopathicarum *quaedam exempla*:

Scriptores sacri ἀνθρωποπαθῶς *faciem* Deo tribuentes, plerumque *praesentiam* ejus innuunt (Psalm CXXVIII, 7.) et Deum sanctuarium suum, ubi sacra fieri sineret, *praesentia* sua eximia ac singulari ornare cum persuasi essent Hebraei, *Dei facies* idem fere est, quod templum ei sacratum, *praesentia ipsius* singulari gaudens, ut Exod. XXIII, 15.

C. XXV. 30. Nonnunquam adeo, latiori sensu, et terra Israelitarum tanquam sanctuario insigne, ut Jon. I, 3. ubi Jonas a facie Dei (i. e. e patria sua, ad ethnicos) profugere voluisse dicitur. *Dei faciem videre* (Matth. XVIII, 10.) *intimam* ejus esse notat; phrasis, petita ex aulis regum orientalium, qui a subditis plebeque conspici recusantes, solis *amicis suis* id honoris concedunt.

Oculis cum homo cernat. metaphorice et Deo tribuuntur ad significandam et *omniscientiam* ejus, (Psalm XI, 4. Hiob XXXII. 21.) et *providentiam*, tam *beneficam* erga probos, quos tueatur ac foveat, (Deut. XI, 12. 1. Reg. IX. 3. 2. Chron. XVI, 9. Esr. V, 5. Ps. XXXIV, 16. 1. Petr. III, 12. quam *minacem*, erga impios, poenae obnoxios, castigandos, suppliciumque subituros. (Amos VIII, 3.)

Aures cum homini serviant ad auditum, et instrumenta sensuum haud raro ad animi facultates referant Hebraei, (conf. Gen. XI, 7. C. XLII, 23. 2. Reg. XVIII, 26. Jes. XXXVI, 11.) ita ut *aures* ipsis nonnunquam

idem sint quod *intelligentia* (Psalm XL, 7. *) , *aures* Deo tributae nil nisi perfectissimam ejus *intelligentiam* denotant, qua intelligat, ratasque habeat pias preces (Psalm. X, 17. XXXI. 3. LXXI, 2. etc.) et cognoscat hominum impietatem a se, supremo justoque judice haud negligendam, sed severe vindicandam.

Nasus, olfaciendi instrumentum humanum, quo percipiuntur odores. Deo cum tribuitur, (Deut. XXXIII, 10. יְשִׁיבוּ קְטֹרֶת בְּנַחֲשָׁה) nil significatur aliud, nisi quod suffimenta, in ipsius honorem una cum sacrificiis accensa, ipsi grata sint, i. e. cultu sibi exhibito *adquiescat*.

*) אָזְנוֹתַי כִּי־יִשְׁמָעוּ לִי עוֹלָה וְתִשְׁמָעָה לֹא שְׂמַלְתָּ :
i. e. „*Aures* fodisti mihi“ (audiendi facultate instruxisti me, i. e. tantum *intelligentiae* largitus mihi es, ut norma) *holocausta et piacula te non poscere*“ — Hinc et in libris S. S. N. T. ὤρα (aures) passim sunt: *intelligendi facultas*, seu *intelligentia*, et ἀκούω (audire) est *intelligere*, *mente percipere*, *rei sensum adsequi*, ut : Marc. VII, 18. (ὤρα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε, i. e. non *intelligitis*, quantumvis intelligendi facultate praediti!) Conf. Matth. II, 9. C. XI, 15. C. XIII, 9. 13. Marc. IV, 33. Act. XXII, 9. Röm, XI, 8. 1. Cor. XIV, 2. Apoc. I, 3.

Os et labia, tanquam loquendi instrumenta humana Deo tribuentes scriptores sacri, significant ipsius *consilia ac voluntates*, ut quas (suas nimirum!) ore pronunciet homo, *cognoscendas ex fatis*, Deo auspice ipsoque regente, unicuique contingentibus. Hinc nomen *latinum* ipsum, *fatum*, dictum a *fando* i. e. eloquendo; 'quasi dicas: id, quod eloquutus est Deus circa salutem, vel calamitatem mortalium, i. e. *sors*, Deo dirigente, ipsis contingens. *Oris labiorumque Dei* usus metaphoricus in codice sacro est creberrimus, ut: Jos. IX, 14. 1. Sam. XV, 24. 2. Reg. XXIII, 3. Jes. XXX, 2. etc.

Indignationem testificaturi cum, facie *aversa*, *cervicem* i. e. tergum, obvertant homines, vi *ἀνδροποπαθείας*, seu ex usu metaphorico, et Deus, in favoris denegati quasi *teseram*, improbis eum invocantibus *cervicem* ostendere dicitur (Jer. XVIII, 17.) i. e. non exaudire eorum preces.

Brachium, quo se exserit vis hominum maxima plurimumque roboris, et Deo tribuitur, ad significandam ipsius *potentiam*, poten-

tissimumque ipsius auxilium piis cultoribus suis ferendum, gravissimamque vindictam inferendam scelestis. Vid. Exod. XV, 16. Hiob. XI, 4. Psalm LXXVII, 16. Psalm LXXXIX, 11. LXXXIX, 11. 14. Jes. XXX, 30. C. LI, 9. &c. Luc. 1, 51. &c.

Eandem fere vim metaphoricam habet commemoatio *manus*, imprimis *dextrae Dei*. De *divina potentia* cogitandum, eo quod homo *manus*, imprimis *dextrae* ope, vim maximam exserat eximiasque virtutes. Conf. (*Manus*:) Num. XI, 23. Hiob. X, 8. Cap. XII, 9. 10. Psalm VIII, 7. XXXI, 6. LXXXV, 5. CXXXIV, 7. Jes. XI, 11. &c. (*Dextra*:) Psalm. XVIII, 36. XX, 7. XLIV, 4. LXIII, 9. LXXX, 16. 18.

Viscera hominis cum teneritatis, amoris ac misericordiae quasi fons crederentur et sedes, mirum non est, ex usu metaphorico, (*κατ' ἀνδροποπαθείαν* s. *κατὰ συγκοπήν*) et Deo esse data, (*ἐγγη. σπλάγχνα*) quorum (*Deo* tributorum) vera significatio raro dubia relinquitur a scriptoribus sacris, subaddentibus plerumque vel nomen *ἐγγη* (quod est *miseriordia*, seu *tenerrimus* amor, ut Jes.

LXIII, 15. Graece: ἔλεος, ut Luc. I, 78. “διὰ
σπλάγγνα ἔλεους Θεῶ ὑμῶν) vel verbum ׀קח,
jam in conjugatione *Kal*, jam *Piel*, ׀קח,
quod est: *tenerime diligere, miscreri*) ut: Jer.
XXXI, 20.

Similis fere ratio est commemorationis
reliquarum partium corporis humani, Deo tribu-
taram. Neque alia *adfectuum*, animi humani,
actionum sensuumque humanorum in Deum
translatorum. Exempli loco sit *oblivionis Deo*
tributae commemoratio. Deum oblivioni ob-
noxium esse non posse, sole meridiano cla-
rius est: verum si quis *hominum* spem quam-
cunque adfert, fore, ut tibi sive opem ferat,
sive servitium praestet, vel si verendum tibi
est, ne quis calamitatem quamcumque in te
cumulaturus sit, sed fallit spem tuam, sive
tuum timorem: quae vel *expectaveras* ab illo
commoda, vel *metueras* injurias tibi inferendas,
oblitis esse creditur. Haud aliter accipienda
oblivionis Deo tributae mentio, ut: 1. Sam.
I, 11. Psalm. VI II, 19. XIII, 2. XLII, 10.
LXXIV, 23. Jes. XLIX, 15. Jer. XXIII, 39.
Hos. IV, 6. Amos. VIII, 7. &c.

Eodem modo *poenitentia* Deo tributa
est accipienda. Si quis mortalium, quod con-
fecerat, extruxerat seu fabricaverat, mox
disjicit perditque, poenitere eum putant im-
pensi laboris. Vel si quis aliquamdiu aspere
te tractaverat, mox mitem erga te, benevolum
ac benignum sese gerens, pariter poenituis-
se eum putabis asperitatis, qua te ante cumu-
laverat; et contra. — Simili sensu eodemque
metaphorico Deum poenituisse dicunt sacri
scriptores, ut: Gen. VI, 6 Deum *diluvio per-*
diturum homines, poenituisse dicit Moses,
quod eos creaverit. Ita quidem *videbatur*:
aliter enim eos perditurus non fuisset. —
Deus *Saulum* regia dignitate privaturus, ad
quam eum evexerat idem: „*Poenitet me*, in-
quit, *me constituisse eum Israelitarum regem*,
1. Sam. XV, 11. 35. — Alio loco (Jer. XVIII, 10.)
Deus populum suum obedientem castigaturus,
nec collaturus in eum ea beneficia, quae ipsi
promiserat: „*Poenitet me*, ait, *prosperitatis*,
qua mactare eum promiseram.“ Similiter
in locis compluribus aliis, ut: Exod. XXXII,
12. 14. 2. Sam. XXIV, 16. Psalm CVI, 45. Jer.
XVIII, 8. C. XXVI, 3. Hos. XI, 8. Amos. VII,
3. 6. Joel. II, 13. 14. &c.

Locutio et sermo cum Deo tribuitur, cogitandum de ipsius *voluntate et consiliis*, non captis solum, sed etiam peractis. *Homo enim loquela* notificat, quid consilii ceperit, quid velit, aut nolit. *Deus decernit* atque *efficit*, quae *dicere* (*ἄνθρωπος λαλῶν*) perhibetur. Conf. Gen. 1, 3. 9. 11. 14. 20. 24. C. II, 18. C. III, 22. C. XI, 6. 7. Psalm II, 7. CX, 4. &c.

Sed haec hactenus. Dictionum anthropopathicarum in scriptura sacra utriusque foederis obviarum catalogum qui desideraverit, adeat b. Sal. Glassii *Philologiam sacram* (Libr. II. Tract. I. Cap. VII.) ubi *Vir* (saeculi, quo inclarescebat, rationem si habeas) longe doctissimus, aetatis suae rarum ornamentum, simul ubique agit interpretem. Sed est sane, quod doleas, b. Jo. Aug. *Dathium*, *Virum*, dum viveret, ceteroquin doctissimum, iteratae editionis illius operis auctorem, maxime librum II, *Rhetoricam sacram* exhibentem, non satis accommodasse his temporibus, licet se hoc fecisse in fronte operis diserte adfirmet; resecanda enim tum erant ac delenda, quibus jam jam fere subridet no-

strates; castiganda, ubi haesitaverat cum sui saeculi genio atque indole doctrinaeque modulo b. auctor; addenda denique, ubicunque haec nostra aetas suppeditaverit (et profecto satis large suppeditare poterat!) meliora.
